

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



DISPUTATIO IV. 79  
ETHICA

*De*  
LIBERTATE VOLUNTATIS  
HUMANÆ, QUARTO ACTIONUM  
CIVILIU PRINCIPIO.

*Quam*  
DEO TRIUNO ANNUENTE  
In Illustri & celeberrima Academia VVittebergensi.

*PRÆSIDE*

*Clarissimo Philosopho*

Dn. M. IACOBO MARTINI,  
Logices & Pract. Philosoph. Pro-  
fessore publ.

*Proponit*

BUSO AB ALVENSLEVE L. F.  
Nob. Palæomar.


*Ad diem 13. Aug: Loco & Horis consuetis.*

VVITTEBERGÆ,

E Typographæo JOHAN. GORMANNI.

---

Anno M. DC. XIV.



*Nobilissimis ac Spectatissimis*  
*VIRIS,*

**Dn. GEBHARDO IOANNI**  
ab Alvensleve JOACH. F. in Erxleben & EichenBardleben  
hæreditario:

**Dn. IOACHIMO FRIDERICO**  
à Schulenburg, Wærneri F. Archiepiscopi Magdeburgensis Consiliario provinciali, in Tucheim hæreditario.

*Dominis Patruo & avunculo, Tutoribus*  
*omni observantiâ estimandis*

in studij indicinam

*Offert*

**RESPONDENS.**



## DISPUTATIO IV.

De

# LIBERTATE ARBITRII.

## Thesis I.



**D**E Libertate humani arbitrij, tanquam quarto humanarum actionum principio, acturi, quatuor potissimum examinabimus. 1. Quo pacto libertatis verbum accipiamus. 2. An sit aliqua humani arbitrij libertas. 3. Quid illa sit. 4. Deniq; ad quam animæ facultatem pertineat.

II.

Quod ad primum attinet, relictis alijs, quarum aliquot enumerari possent, significationibus, sciendum, nos cum Piccolomineo hic talem intelligere libertatem, quæ cum ratione juncta est, à ratione oritur, ac mutari potest.

III.

Ad alterum quæsitum, an sit liberum arbitrium in homine, negativè respondent, præter unam peripateticam, sectæ Sapientum omnes, quas singulas recensere neq; utile, neq; propositum nobis est.

IV.

Possent nihilominus in duas cohortes dirimi. Aut enim omni spoliant libertate hominem tam in rectè, quam in malè factis, aut solas actiones virtuosas voluntarias esse, vitiosas autem invitas & coactas evincere conantur.

V.

Atq; hujus quidem opinionis fuerunt autores Academici:

A 2

&c

& Plato (a) dixit, neminem sponte esse improbum: illam verò amplectuntur Stoici, & qui ante eos fuerunt, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristippus, & alij:

(a) Plato in *Timaeo*, *Menone* & alibi *Arist.* lib. 3. *Eth. Nic.* c. 5.

VI.

Stoicorum opinio facile refellitur. Quia enim causa actionum est in ipso homine: quia contrariorum eadem (b) est ratio in non velle & velle; rectè actiones virtutum & vitiorum in hominis potestate esse concludimus.

(b) *Arist.* lib. 7. *Eth. Nicom.* c. 5. & alibi.

VII.

Eodem modo Academicorum & Platonis sententia subsistere nequit. 1. Quia malitia oritur ex iisdem principijs & causis, nempe ex voluntate & consultatione: Ergo æquè malè agere, quam benè agere, æquè improbum, quàm probum esse, est quid *ἀναγκαῖον*.

VIII.

2. Quia vitia ut plurimum comitatur jucunditas & delectatio: violentum contra conjunctum est cum tristitia.

IX.

3. Quia si homo non: ergo vel Deus; vel natura, vel fortuna erant causa actionum malarum: Atqui singula sunt absurda absurdissima. Quare vel hinc sequitur satis manifestè, vitia quoque spontanea esse.

X.

4. Quia media tam bonarum, quàm malarum actionum sunt *ἐφ' ἡμῶν*, nempe consultatio & reliqua: Ergo & hac ratione finem illum, quo præsupposito, de medijs, ad eum ducentibus, quaeritur, spontaneum negare est absurdissimum.

XI.

5. Si vitia statuuntur non spontanea, aufertur judicium & justa poena & oburgatio. Nam esset hoc modo necessitas & Fatum causa peccati, & non voluntas & arbitrium peccantis: rectèque apud *Lucianum* se tur excusasset per id, quod fato coactus fuisset ad furtum; cui tamen aptissime respondit iudex: Ergò nunc fato quoque cogaris ad patibulum.

Videas

Videatur Augustinus lib. 5. de Civit. Dei c. 8. Dionysius cap. 4. de divi-  
nis nominibus. Chrysostomus hom. 60. in Matth. item in oratione de  
Provid. Clemens Alex. lib. 1. Strom. Arist. lib. 3. Eth. Nic. c. 5. & lib.  
7. cor. c. 3.

XII.

Sed si quis prætendat, malum habitum causam malæ actio-  
nis esse, malo etiam habitu, hominem cogi ad malè agendum.  
Ranarum hæ voces sunt, si excusare hominem malum debent.  
Nam quis hominem malum ante vitiosum coegit habitum, hunc  
ut sibi contraheret?

XIII.

Inferat idem, se nescivisse, ex malis actionibus malos etiam  
provenire habitus. Arist. talem ἀναισθητον appellat, qui ignorat  
ὅτι ἐκ τῆς ἐνεργείης τῆς ἐνάστασις αἰετῆς γίνονται.

XIV.

Academici objiciunt; ut male agamus, in causa est φαντα-  
σία, quæ rem bonam sæpe malam & rem malam sæpe bonam ap-  
parere facit. Jam verò phantasia est naturalis neq; in nostra po-  
testate: Ergo etiam malè agere, quod ex φαντασία prodit, non est  
in nostra potestate.

XV.

Ἐνταῦτις hæc duplici solvitur modo: I. Negando omnem  
φαντασίαν esse naturalem: Ipsa quidem facultas, rerum species  
atq; imagines nobis imprimens, ἀπλῶς & per se considerata, est  
naturalis, utpote omnibus innata. Atq; hoc modo non est vitu-  
peranda. Considerata verò cum adjunctione, quatenus bona vel  
mala est, ex certo habitu proficiscitur, quem homines suis actio-  
nibus contraxerunt. Et ita facinus, ex tali φαντασία perpetratum,  
non excusandum sed vituperandum est.

XVI.

Deinde largiamur, omnem phantasian esse naturalem: fir-  
miter tamen inde non colligitur vitia spontanea non esse: sed  
simul implicat adversarios contradictione in propria hypo-  
thesi.

XVII.

Quoniam enim non tantum benè, sed & malè per φαντασίαν  
A 3 agi.

agimus; adeoque ab ea dependent tam vitia, quam virtutes, aut utraque; invita esse, aut si virtutes in nostrâ potestate sunt, secundum assertionem Academicorum, vitia quoque in eadem nostra potestate ut sint, necesse est: Quandoquidem nulla potest dari ratio, quare eadem *Φαντασία*, quæ vitiosas actiones reddere invitæ videtur, etiam non in virtutibus obstat, quo minus sint invitæ.

XII.

Facessat igitur jam non solum Academicorum & Platonis, *ἢ δὲ ἐκὼν κακός, ἢ δὲ ἄκων μάκαρ*: sed etiam Stoicorum *ἀνάγκη*: Facessat quoque Epicuræorum temeraria illa actionum *Domina*, *Fortuna*, Nos libertatem nostræ voluntatis jure asserimus, eandemque sic definimus.

XIX.

Libertas est potentia animi, quâ neque naturæ instinctu, neque vi, sed arbitrato nostro, tendimus ad finem, libereque aliquid velle vel respuere valemus.

XX.

Restat ultima quæstio: Ad quam animæ facultatem pertinet liberum arbitrium: Ludovicus Boccaferreus cum nonnullis alijs, liberum arbitrium in mente potius, quam voluntate positum esse statuit. 1. Quod omnia cognoscere, libertatis proprium, mentis sit. 2. Quod mens nostra omnia imperet & judicet: Hoc itidem proprium libertatis videtur: Quo etiam respiciens Philosophus 3. *de anima* statuit, Intellectum & appetitum jure esse principia motus: Cum intellectus imperet: appetitus verò jussa exequatur.

XXI.

Alij in voluntate liberum arbitrium esse censent: Quod sola voluntas nos, naturâ ad partem utramque indifferentes, ad unam definitam contrahat, ut innuit Philosophus: potestates cum ratione agentes possunt efficere contraria, & nisi adesset aliquid, eas ad unum contrahens, simul contraria agerent, quod tamen fieri nequit: ideo necesse est, ut determinetur ab aliquo: id autem est appetitus, aut præelectio: Quod enim desiderabit, id faciet.

*lib. 8. Metaph. §. 10.*

XXII.

Conciliatur verò facilè utraq; sententia, si statuamus, quoniam mens sive ratio de re aliqua propositâ concludere potis est, an hoc vel illo modo, hoc vel illo loco, hoc vel illo tempore,

re,





re, fieri debeat, ad eam, libertatem hanc referri, tanquam ad fontem, principium, fundamentum & partem dirigentem: ad appetitum vero & voluntatem tanquam ad usum & partem exequentem.

XXIII.

Inest nihilominus huic per se, illi verò per participationem: quoniam Libertatis origo in ratione est posita: forma autem illius in voluntate, ut in propria sede, reperitur.

COROLLARIA.

1. An, qui libertatem in agendo homini adimunt, Deum autorem peccati faciant & blasphemè doceant? Omnino.
2. An homo ideo, quia legibus subjacet, liberè agat? Leges libertatem non tollunt, sed conservant.
3. An habitus eodem modo in nostra sint potestate, quo actiones habitum præcedentes? Non sunt.
4. An vel Dei providentia vel astrorum influentia, vel temperamenti inclinatio libertatem nostram tollat vel saltem impediatur, quæ actiones morales? Nequaquam.
5. In quibus sit Libertas, quæ quis liber est à violentiâ: R. in omnibus ijs, quæ invitè non fiunt, sive ex voluntate, sive ex naturæ necessitate libertas ea proficiatur.
6. Quibus insit Libertas, quæ quidpiam est liberum à necessitate & in quo consistat? R. in hoc, ut ea causa dicatur liberè agere, quæ, positis omnibus in agendo requisitis, ita operatur, ut absq; ulla varietate & mutatione in se, vel in altero facta, possit agere & non agere.
7. An in animantibus mentis expertibus sit libera actio? R. Non; Quia hujusmodi actio, sine rationis & voluntatis facultate esse nequit.
8. An in pueris & insanis, usu rationis carentibus, possit esse actio libera: Non potest. Quia enim in illis usus rationis nequaquam elucet; sensu, imaginatione & appetitu, non autem ratione & libertate, ducuntur.
9. An propterea pueris & insanis nullum omnino insit arbitrium. Inest quæ actum primum, non inest, quæ actum secundum. Illud: quia anima rationali sunt præditi: Ergo facultates, rationem & voluntatem, habent. Hoc: quia illis facultatibus non utuntur.
10. An peccandi potestas sit pars libertatis? Non est: quippe, quæ consistit in eo, ut quis possit agere & non agere. Quod verò multi possunt, sed non continuo peccare possunt, cum in multis tantum libertas sit ad Bonum, non ad malum.

At

At verò quamvis peccandi facultas pars libertatis non sit: peccatum nihilominus libera hominis voluntate committitur. Sequitur ergò, ut si peccatum sit, eo ipso liberum sit: non tamen si quis potestate sua habet, ut possit agere & non agere; statim potestatem peccandi habeat: ut patet.

11. An verum sit Anselmi verbum, magis liberos esse, qui peccare nequeunt, quam qui possunt? R. Anselmus sæpe libertatem accipit non solum pro eâ, quâ quis liber est à violentiâ & necessitate: sed etiam pro libertate, qua liberi sumus à peccato & miseriâ. Ergò qui peccare non possunt magis sunt liberi: quippe quadruplici libertate præditi, nempe à violentiâ, necessitate, peccato & miseriâ: ut Deus, Christus & beati Cœlites. Verùm, qui peccare queunt liberi quidem sunt ab omni vi & necessitate à peccato & miseriâ non item.

Ansel. Dialog. de libero Arbit. c. 1.

12. An quicquid prece, admonitione, & persuasione vel increpatione geritur, eo ipso liberâ voluntate fiat. R. Interdum admonitiones, objurgationes, ad alium directæ in eo libertatem ostendunt: Interdum non: sed duntaxat intelligentiam & captum, quo nostros sermones percipere possit, indicant: Sic pueros & amentes adhortamur, objurgamus, reprehendimus, rogamus: quia tamen si libertate careant, nostros tamen sermones intelligunt: & deinde vel metu pœnæ vel spe præmij, aliquid obeunt & præstant.



Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





TATIO IV. 79  
 CHICA  
 De  
 E VOLUNTA-  
 QUARTO ACTIONUM  
 M PRINCIPIO,  
 Quam  
 NO ANNUENTE  
 na Academia VVittebergensi.  
 RESIDE  
 no Philosopho  
 BOBO MARTINI,  
 et. Philosoph. Pro-  
 re publ.  
 roponit  
 LVENSLEVE L. F.  
 Palæomar.  
 Loco & Horis consuetis.  
 BERGÆ,  
 HAN. GORMANNI.  
 M. DC. XIV.

